


Psalmi et Antiphonæ super Psalmos ut heri. Non dicatur Capitulum, neque Hymnus, neque V.; sed finita Antiphona super ultimum Psalmum, incipiatur ad Magnificat

Ant. 

j. toni. CUM acce-písset acétum, dixit : Consummátum



est. Et inclináto cá-pi-te trádidit spí-ri-tum.



Cant. Magní-ficat. e u ó u a e.

Finita post Canticum Antiphona Cum accepisset, Conventus prostratus super formas dicat secreto Pater noster., et factó signo a Prælató, Fratres mediocri voce dicant alternatim Ps. Miserére.

Psalmus 50.

MISERERE mei Deus, * secundum magnam misericórdiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea : * et a peccato meo munda me.

Quóniam iniquitatem meam ego cognosco : * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : * ut

justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus concéptus sum : * et in peccatis concépit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : * incerta, et occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssópo, et mundabor : * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exultabunt ossa humiliata.